

tibus, sensu teste, deprehēdimus, utpote cujus investigatio
 multa & excellentia ingenia per omne ævum fatigavit.
 Omnino verò concessum est omnibus caliditatem ejus
 modi, quam in thermis animadvertimus, aquæ adventitiã
 esse, adeoque causam aliunde quærendã esse censent. *Vete-*
res vix ullam caloris istius causam propriam interris depræ-
 hendentes, ad communem & universalem æthereum ca-
 lorem omnia retulerunt: hinc *Zeno, Cleanthes, Chrysippus,*
 referente *Cicerone de Nat. Deor.* aquæ natura calorem admi-
 stum statuunt, unde motus & omnis ejus calor oriatur: di-
 stinctè magis loquitur *Thermophilus*, qui solem per raros
 terrarum poros penetrare & in profunditate viscerum ro-
 berari, calefieri ac instar ignium aquas ibi calefacere & com-
 bustibilia comburere posse statuit. Sed quis nostrum est, cui
 quicquam probabilitatis præsens assertio habere videa-
 tur? quis enim solis calori fervorem scaturientium aqua-
 rum tantum, quo videmus porcos depilari, gallinas deplu-
 mari, pennarumque compagem reseratis meatibus resol-
 vi, tribueret? de *Icaro* quidem fabula est, arrogantium ho-
 minum ausus ridiculos innuens, quod artificiosum vola-
 tum attentans, exitu minus felici solutis fervore solis ala-
 rum compagibus præceps in mare dejectus fuerit: at alas
 has minimè naturã sed artificio per ceram induratum jun-
 ctas fuisse fabulantur. Quis, quæso, solis calor profundos ter-
 rarum hiatus tam efficaciter illustraret, qui juxta poetam
 vix potest

*Convenit
 inter omnes
 thermarum
 caliditatem
 esse adventi-
 tiam.*

*Opinio quo-
 rundam ve-
 terum, therm-
 arum ca-
 lorem ab
 universali
 æthereo calo-
 re depēdere.*

*Refutatur
 prædicta
 opinio.*

per septa domorum

Lucret.

Insinuare suum radiis ardentibus æstum.

Imò si humili nostrarum ædium parte, cellis non aliè ni-
 mis effossis æstum solis excludimus, quid abest, quo minus
 concludamus, hanc opinionem à veritate penitus alienam
 haberi? taceo quod radii solares non calidi neque frigidi

B 2 sint,